



# Theses juridicae miscellaneae inaugurales

<https://hdl.handle.net/1874/295252>

13

# THESES JURIDICAE MISCELLANEAE INAUGURALES

Q U A S  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auditoritate Rectoris MAGNIFICI*

## ALEXANDRI PETRI NAHUYS

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Bot. Chem.  
& Physiol. Professoris Ordinarii,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et  
Nobilissimæ FACULTATIS JURIDICAE decreto,*

### PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Virorum Examini submitit*

### PIETER VAN EYK,

AMSTELODAMO BATAVUS.

---

*Ad diem 28. Julii MDCCCLXXX. H. L. Q. S.*

---

*TRAJECTI AD RHENUM,  
Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCCLXXX.*

THESE S U R I D I C A E  
M I S C E R F A N T A E  
I N A N G U R A L E S

ALEXANDRI PETRINHUS

A. J. M. 5th & May. Dog. No. 100.

25th May. 1800. London. Printed.

A. C. M. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.

100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100. 100.


PARENTIBUS,

CONSANGUINEIS.

AMICIS,

SACRUM.

СОНАГУИЛІС  
САКРУМ  
СІМА  
ПАЛАЧІВ



# THESES JURIDICAE MISCELLANEAE INAUGURALES.

## I.



uum ea sit juris naturae indeoles, ut nulla detur causa, quae ejus observationem homini remittat, nulla tam gravis necesitas, quae illud jus infringat, quum praeterea, quid jure naturae licitum, quidve illicitum sit, factis a Deo probatis vel reprehensis optime illustretur, eam juris naturae quaestio- nem, qua de incestu ambigitur, deturne jure absoluto naturae talis, nec ne, etiam facto illustrare conabimur: principio refutum

A

creati

## THESES JURIDICAE

creati duo homines maxima necessitate conjuncti connubia insi-  
runt, liberosque procrearunt, qui fratres & sorores nuptias in-  
ter se contrahere necesse habuerunt, adeoque, si absoluto jure  
naturae daretur incestus inter fratres & sorores, peccatum  
commisissent proavi nostri, idque jubente ipso Deo, qui illis  
mandavit, ut genus humanum propagarent, sic Deus auctor fieret  
peccati: hinc quoniam, ut antea posuimus, ne illa quidem ne-  
cessitas, quam hic inferebat aliarum mulierum defectus, a ju-  
ris naturae observantia absolvit, statuimus, hac in re non pec-  
casce proavos nostros, adeoque

*jure naturae absoluto nullum dari inter fratres & sorores ince-  
stum.*

## I I.

Mira videtur & absurda primo intuitu, quam juris naturae  
definitionem dat Ulpianus, illud esse dicens, *quod natura omnia  
animalia docuit l. i. § 3. ff. de jud. & jure:* illam definitionem  
fini, cui inservire debet, convenire, non adseveramus: quamvis  
enim, quod mox adstruetur, per se ita definiri queat jus natu-  
rae, tamen, quoniam leges Romanae non animalibus, sed ho-

minibus

minibus scriptae sunt, in illarum legum corpore per jus naturae non jus animalium, si quod datur, sed illud intelligitur, quod inter homines obtinet: dari tamen inter animalia jus quoddam non prorsus male statuisse Ulpianum, non negaturum credimus illum, qui brutis, ut vocantur, non omnem rationis usum denegat: si enim aliquem modo illis concedamus rationis usum, quod an Ulpianus concesserit, dubito, experientia quid bonum, quidve malum sit, edoceantur necesse est: huic autem boni malique ideae conjuncta est justi atque injusti notio, ex qua omne jus naturae deducitur; esse igitur animalibus etiam jus naturae, adsumta haec hypothesis credere jubet: verum postulabit forte aliquis, ut concessso animalibus qualcumque rationis usu, experientia probetur, obtinere inter animalia tale jus: si Ulpianum ipsum consulamus, respondebit, hujus juris apud animalia indicia esse *maris & feminae conjunctionem, liberorum procreationem, educationem l.c.* ast haec, si attendimus, proprie non juris sed facti sunt, adeoque huic postulato non sufficiunt, cui vix satisfiet ab ullo, quum tam incerta sit adhuc animalium natura & ratio vivendi, ut quicquid de iis certo constitui potest, ad paucissima capita possit redigi, neque etiam eo tendit, quod proposuimus, dubium, an detur jus naturae animalium, sed adseritur tantum

## THESES JURIDICAE

*ex adsumta hypothesi, animalia ratione praedita esse, definitio  
nem Ulpiani de jure naturae defendi posse.*

## III.

Diu quaesiverunt Viri Docti, quo jure Israëlitae ex Aegypto profugi terram Canaaniticam, expulsis, quos ne cognoscebant quidem, incolis occupaverint, nonnullis Dei arbitrio, aliis promissionibus Divinis, aliis iterum aliis causis attribuentibus: verum non sufficere illas causas ad jus Israëlitarum defendantum, demonstravit Celeb. *Michaëlis Jur. Mof. P. I. §. 28. seqq.*, qui simul, antea in *Syntagm. Comment. P. I. Comment. 8.* deinde in *J. M. l. l.* aliam profert sententiam, quae veritatis specie se commendare videtur. Basis, qua Celeb. Viri sententia nititur, est jus gentium in Oriente observatum: erant, & sunt adhuc in Oriente, multa pascua loca, quae ab hominibus fixas sedes non habentibus incoluntur: horum communia sunt jura, ita ut immensa illa pascua vagantibus pastoribus cedant: talia pascua permulta habebat Canaanitarum regio, quibus Abrahamus relicta sua patria utebatur, sibique ea continuo usu propria faciebat, idque nunquam contradictibus vicinis Canaanacis maritimas urbes mercaturaे causa inhabitantibus: eodem jure

us sunt ejus posteri Isaacus, & Jacobus, quo etiam aucti Abrahamidae per aliquod tempus gavisi sunt, donec fame coacti eam terram reliquerunt, atque Aegyptum petierunt, ubi vi retenti non potuerunt terram, quam continuo usu suam fecerant Israëlitarum proavi, a Canaanitis sensim auctis eamque occupantibus vindicare; hinc tandem ex Aegypto reduces jure postlimii hanc terram repetiverunt, quam restituere nolentes Canaanitas justo bello affecerunt, sua regione fugarunt, adeoque

*pascua terrae Canaaniticae jure postlimii repetivelerunt, totam  
vero terram justo bello occuparunt Iudei.*

## I. V.

Deus O. M. populum Israëliticum ex Aegypto eductum, & terram Canaaniticam petiturum, ut fixas in illa sedes, & perpetuum domicilium haberet, tam ingentem populum, cuius fama tam late per orbem pateret, sine legibus esse noluit, sed ipse omnia sancivit, quae ad religionis, & reipublicae constitutionem erant necessaria, quas leges a Mose nobis in Sacris Oraculis relictas ut sapientissimas veneramus, & populo Israëlico convenientissimas; illis vero, qui etiam Christianos teneri us

observandis ex nimio forte scrupulo statuunt, adsentiri non possumus, quod tamen hic de solis legibus forensibus intellectum volumus: leges enim, quae religionem spectant, Theologici magis sunt, quam Juridici examinis. Ut autem publicae leges populum devinciant, duo requiruntur praecipue, legum promulgatio, & populi, vel magistratus, cui populus summam auctoritatem detulit, consensus: neutrum, quod ad Christianos attinet, obtinuit in legibus Mosaicis, nullis Christianorum unquam sunt promulgatae, nisi, quod neminem creditum confidimus, continuam in ecclesiis lectionem & expositionem pro promulgatione habere quis velit; neque unquam populus Christianus iis adsensum dedit, sed omnes vel suis legibus usi, vel ius Romanum secuti sunt: verum negabunt, qui has leges observandas esse statuunt, ex eo principio obligationem hanc esse derivandam, easque dicent non tanquam humanas civiles, sed tanquam divinas considerandas esse: at hos rogamus, ut dicant, quid intelligent per leges divinas: haec, ut in genere consideratae leges, sunt vel naturales, vel gentium, vel civiles: naturales esse leges Mosaicas, nemo facile crediderit; nec gentium, solum enim populo Israëlitico promulgatae sunt; superest ergo, ut dicamus, esse divinas civiles: verum quid lex divina civilis a lege humana civili differt, nisi eo, quod illa omnibus numeris

abso-

absoluta, & errare nescia sit, haec in omnibus similis reliquis  
operibus humanis suis naevis laboret: est autem jus civile,  
quod quilibet populus liber sibi constituit, vel quod princeps  
nomine populi constituit populo: sive jam Deus, qui populi  
Israëlitici rex esse volebat, sive aliis princeps vel populus leges  
ferat, eas non fert omnibus gentibus, sed illi tantum populo,  
cui praest; quae autem leges uni tantum populo latae sunt, alios  
populos non obligant, hinc

*leges Judaeorum forentes solum populum Israëliticum, non vero  
etiam Christianos obligare statuimus.*

## V.

Idque non tantum, quod praecedente §. positum, legum de-  
finitiones & distinctiones, sed ipsa multarum legum natura do-  
cet: non illas dicemus leges, quas ipse vel cultus Christianorum  
vel consuetudo abrogavit: v. c. servorum jura, ac de iis con-  
stitutiones, leges de Idololatrijs exterminandis &c. unam tan-  
tum alteramve excitabimus, quarum ea est indoles, ut Judaeis  
aequissimae, nobis intolerandae & maxime noxiae sint: huc  
pertinere videtur lex, qua debita singulis septem annis remit-

tenda

## 3 THESES JURIDICAE

tenda erant; nihil sapientius, nihil aequius cautum erat in regione, in qua omnes possessiones ita erant distributae, ut, dum leges observabantur, non possent alienari; nihil utilius in populo, qui totus ab una stirpe descendebat, & qui perpetuo cognationis vinculo retinendus erat; in tali regione nihil de avita possessione amittebat creditor debitibus remittendis, quicquid enim sui patrimonii forte debitorum gratia alienaverat, id ipse septimo anno recuperabat: ac illud in Europa observari ponamus; quis debitorum remittendorum finis, quodnam recuperandi, quod per debita amissum est, remedium, quaenam talis legis inter homines nullo cognationis vinculo conjunctos utilitas? Plures hujusmodi leges attulit Celeb. *Micbaelis J. M. P. I.* §. 8. ex quibus unam tantum exempli causa adjiciam: vetuit Deus populum suum usuras capere a fratribus suis id est Israëlitis: hanc legem constitutioni populi Judaici convenientissimam, ab Europaearum vero gentium indole quam maxime alienam esse, ipsa docet huic legi addita venia; qua ab alienis usuras capere conceditur, unde patet Deum ipsum voluisse, ut haec lex non nisi inter Israëlitas ob causas memoratas, non vero inter populos nulla cognatione junctos locum haberet. Ex quibus elicimus

*ipsam*

## INAUGURALES.

*ipsam legum Mosaicarum naturam decere, eas non nisi populo Ju-  
daico latae esse.*

### V. I.

Varia fuerunt, & sunt ad hoc usque tempus Judaeorum toto orbe dispersorum fata; postquam sensim procuratores Romani iis libertatem ademerunt, umbra tantum libertatis gaudentes penitus subjecti sunt Romanorum imperio: varia subierunt sub variis imperatoribus fata, ab hoc expulsi, ab illo recepti, imo privilegiis donati: invalescente per orbem Romanum Christiana religione, ipsisque eam profitentibus imperatoribus Judaei partim durius, partim mitius sunt recepti: invenimus in Corpore Juris leges de Judaeis latae, quae satis docere videntur, voluisse imperatores, ut Judaei quod ad res sacras omnino majorum suorum sequerentur institutionem, quod ad civiles viverent legibus Romanis, ita tamen, ut etiam in iis aliquando locum habuerit indulgentia: sacra libere ritu majorum administrare licuisse Judaeis, patet ex *l. 2. & 13. Cod. de Jud.*, quibus Sabbathi & reliquorum dierum festorum quies iis conceditur, *l. 4. & 14. eod.* quibus cavetur, ne vim Synagogis inferant, aut hospitii loco iis utantur milites, *l. 11. eod.* qua expressis

B

ver-

verbis dicunt imperatores; *Judaei ritus suos citra contemnum Christianae religionis retineant*, quae tamen privilegia ab Imp. Theodosio & Valente ita sunt mutata, ut novas synagogas struere vetitum sit l. 18. §. 1. eod., & tandem a Leone omnino extirpati sint v. Nov. Leon. 57. In rebus civilibus adstrictos fuisse Judaeos legibus Romanorum dicunt imp. Arcadius & Honorius l. 8. eod. idem de nuptiis voluerunt Theodosius, Arcadius & Honorius l. 7. eod. & de contentionibus Judaeos inter & Christianos l. 15. eod. concessa tamen, si pacto inter se convenient, arbitri eligendi venia l. 8. eod. ex quibus omnibus colligimus

*Jure Romano concessum fuisse Judaeis suis legibus sacris vivere, dummodo non obesse Christianae religioni, in civilibus vero Romanis legibus fuisse subjectos.*

## V I I.

Servitutem negativam, quae in aliqua re non danda, facienda vel praestanda consistit, iisdem prorsus modis acquiri posse, ac servitutes positivas, colligi posse videtur ex l. ult. cod. de praescr. l. t. ubi eodem modo omnes servitutes constitui, &

quam-

quamvis sint res incorporales, quarum proprie non est traditio, tamen acquiri posse per longi temporis praescriptionem, quae si in omni servitute locum haberet, etiam omnis servitus sola acquiri posset possessione, quoniam praescriptione aliquid acquirere non possumus, nisi per longum tempus possederimus. Verum inquiramus, num quis dici possit esse in possessione aliquid non faciendi: omnino hoc esse negandum, unus & alter casus, quo servitus negativa sola possessione acquiri diceretur, evincet. Servitus negativa est *ne luminibus officiatur*: ponamus Caji & Titii aedes vicinas; Cajus in posteriore domus suae parte habet fenestram, qua per Titii aream lumen haurit: Titius, dum dominum possedit, nunquam hanc fenestram impedivit, sed Cajo liberum reliquit lumen: an jam, quia Cajus per longum tempus hoc lumine gavisus est non impediente Titio, Cajus per solam hanc possessionem acquisivisse servitutem *ne luminibus officiatur*, dicendus erit? Nequaquam, Titio enim semper licet suo fundo quicquid voluerit inaedificare, adeoque & contra Caji fenestram talia struere, quibus Caji lumini officiatur: v. l. 8, 9. Cod. de serv. & aq. l. 9, 10. ff. de serv. praed. urb. l. 26. ff. de damn. inf. nec quicquam juris Cajo suppetit, quo illud, quod lumini suo officit, removere possit. Eodem modo comparatum est cum servitute *altius non tollendi*: sint aedes Maevii & Titii vicinae ad

eandem altitudinem elatae: Maevius per longum tempus suarum aedium fuit dominus, neque unquam eas altius extulit: tandem vult tabulatum addere: potestne Titius, quia tamdiu suas aedes non extulit Maevius, provocare ad servitutem *altius non tollendi*, & Maevium, quia possessione hanc servitutem acquisivit, impedire, quo minus altius tollat suas aedes? responderit Maevius, nullam esse hanc possessionem, idque ex *I. 20. ff. de serv. praed. urb.* patet, ubi tantum illae servitudes, quae in superficie consistunt, possessione dicuntur retineri. Nec provocare poterit Titius ad *I. 1. Cod. de serv. &c aq.*, ubi *longi temporis consuetudo vicem servitutis obtinere* dicitur; eadem enim lege patet, praecedere debere actionem contra illum, qui luminibus officit, adeoque non solam possessionem, sed demonstrationem juris requiri: statuimus itaque

*servitutem negativam sola possessione non acquiri.*

### VIII.

Legislatores veteres plurimi maxima severitate plerumque usi sunt in legibus suis ferendis: hinc sanguineae Draconis leges, quas postea mitiores reddidit Solon: Romani, quibus leges XII. Tabularum ferentibus adhuc multum adhaerebat pristi-

nae illius ruditatis, qua notantur sub regibus, et si a Draconis crudelitate alieni tanta tamen severitate leges composuerunt, ut postea Praetorium jus introducere opus fuerit, quo antiquarum legum severitas mitigaretur: hujus severitatis exemplum exhibet lex XII. Tabb., quae jubet: *si in jus vocat, ni eat, manum injicito*: solebant nempe, quod notum est, eum, qui in jus vocatus sequi solebat, obtorto collo in jus rapere: at non nulli juris interpretes, ut ab hac violentia leges Romanas defenserent, illud de vilioribus tantum hominibus, & vadimonii desertoribus interpretati sunt, & negarunt licuisse liberum hominem absque magistratus auctoritate vi in jus rapere, provocantes ad l. 5. ff. de judic. l. 9. Cod. de bon. auct. jud. poss. l. 54. Cod. de decur. l. 11. ff. de in jus voc. l. 16. eod. & l. XII. Tabb. dicente *vis a populo abesto*. Sed quum Horatii & Plauti loca a Doct. mihi amicissimo D. W. C. ACKERSDYCK in diff. inaug. p. 50. laudata & diligenter explicata contrarium indicant, quumque loca ex ff. & Cod. excitata aliam explicationem patiuntur, inducimur, ut credamus

*cuique licuisse jure Romano veteri adversaurim qualemcumque, non tantum vilorem, invitum, aut vadimonii desertorem vi in jus rapere.*

## I. X.

Mirum est, doctissimum virum Salmasium aliosque eum sequitos credidisse, mutui dationem non esse alienationem, quum tot argumentis illud evinci posse videatur: rem ab initio repetamus, & ex ipsa mutui definitione conemur hanc sententiam evertere: Imperator ipse pr. *Inst. quib. m. re contr. obl. mutui dationem in iis rebus dicit consistere, quae pondere, numero, mensura constant, quas res in hoc damus, ut accipientium fiant, quae ultima verba satis evincunt, mutui datione transferri dominium, eumque, cui mutuum datum est, mutui esse dominum, cui minime obstant, quae ex l. 213. §. 1. ff. de V. S. l. 39. §. 1. eod. l. 11. Cod. si certum petatur obmoventur, nempe mutuum, quippe pecuniam creditam, a debitore esse alienam: ea enim est mutui natura, ut, dum quis eo utitur, tanquam suo utatur, finito autem mutui tempore ut alienam reddat: hinc patet, et si respectu mutuum dantis mutuum, quod finito contractu reddendum est, dici potest esse in dominio dantis, revera tamen, dum mutuum dat, transferri dominium in accipientem, & dantem quod ad futuram restitutionem mutui esse dominum, ubi-*

cum.

cumque autem transfertur dominium, fit alienatio *I. i. Cod. de fund. dot.*, adeoque etiam *in mutui datione fit alienatio.*

## X.

Optatum est saepius, ut defectibus, quibus jus Romanum, uti in patria nostra cum jure hodierno coniunctum invaluit, succurreretur condito novo legum systemate, qualia nuper Augustum omnium Russorum Imperatrix, & Potent. Borussorum Rex confici curarunt. Verum facile est tale quid in regno introducere, ubi Regis voluntas pro placito est, sed difficilis est, imo forte omnino fieri nequit in republica, & tanto magis in tali republica, qualis est nostra, quae septem liberis regionibus constat: vel enim absolutum deberet confici corpus legum, quod omnia complectetur, quibus opus est, ut ubique jus recte dicatur, vel generales tantum juris administrandi regulae essent praescribendae; sic vero semper ad jus sive Romanum sive hodiernum recurrentum esset: si ergo prioris generis corpus juris conficiendum esse statuamus, qualia nuper Europa vidit nascentia, certe multo facilior esset juris intelligendi atque administrandi via: tunc enim non opus esset, ut fere pro singula regio-

ne,

ne, sed urbe novum corpus legum edisceretur, sed ubique idem jus obtineret, ubique judices ac juris periti jus dicere & de jure respondere possent, quod nunc per juris discrepantiam secus est; at ipsa illa juris diversitas in patria nostra prohibere videatur, quominus tam utili multorum desiderio satisfieri queat: leges enim semel sive in regione sive in urbe constitutae & observatae illius regionis sive urbis incolis commoda quaedam adferrunt, quibus non gaudent illi, qui aliis legibus utuntur: quum autem patriae urbes ita sint sui juris, ut non detur summa potestas, quae privilegia iis semel concessa, vel magistratum placita communi reipublicae commodo non contraria mutare aut abolere possit, quumque talia sint diversarum urbium privilegia & placita, quae saepe inter se pugnant, neque in concordiam redigi possint, sequi videtur

*ex ipsa patriae nostrae constitutione probari posse, novum corpus legum absolutum in illa non esse expectandum.*

T A N T U M.